



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 6. An contritio petat recogitationem peccatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)



officium medici, & iudicis in confessorium translatum est. Aliæ præterea rationes fieri solent, quæ sunt parvi momenti; ut quod auctores peccatorum fuerunt plures, & ideo videtur necessarium, ut per intellectum saltem ita proponantur. Item; quia nunc in lege noua est necessarius hic modus contritionis, & tamen nunc non est auctum contritionis præceptum, sed solum additum præceptum confessionis.

*Secunda sententia.*

Secunda sententia est, neque ad contritionem, neque ad iustificationem necessariam esse distinctam recogitationem omnium peccatorum, sed sufficere confusæ & distinctæ omnia detestari. Ita Mai. in 4. dist. 17. q. 3. Caiet. distinct. quæst. 87. art. 1. & tom. 1. O. puse tract. 4. q. 2. & Cather. libr. 5. contra Caiet. c. de Contrit. Victor. in Summa. 4. n. 116. de Pœnit. & Ledesma. Vega. libr. 14. in Trid. c. 25. & Nauar. in Summ. c. 1. nu. 25. Petrus Sor. lect. 13. de Pœnit. qui addit interdum posse esse hanc recogitationem necessariam, si obduratus peccator illa indigeat, ut se excitet ad contritionem. Verum hoc accidentarium est, nunc quid per se contritio requiratur, consideremus.

Hanc ergo sententiam absolute veram iudico: contrariam vero aut esse intelligendam in ordine ad confessionem sacramentalem, ut videntur potius in antiquis loqui: vel certe aliquam moderatorem esse limitandam, vel relinquendam. Quod ut declarare aduerto tribus modis intelligi posse hanc recogitationem distinctam omnium peccatorum requiri ad contritionem. Primo quod tota actualis consideratio, & distincta de singulis peccatis sit in intellectu in eo instanti, in quo voluntas excipit contritionem. Secundo, quod saltem ipsa præcesserit antequam eliciatur contritio. Tertio, quod si non præcesserit, saltem post contritionem faciendam sit, & consequenter quod de hoc habeatur votum, seu, positum in contritione ipsa inclusum. Rursus hinc fit, ut tribus modis possit intelligi peccator se habere ex parte intellectus in eo instanti, quo elicit contritionem. Primo, actu, & distinctè recogitans omnia peccata quæ commisit. Secundo, solum confusè recogitans se sepius offendisse Deum, & per voluntatem omnia peccata detestans. Tertio, ut sit actu considerans de vno, vel altero peccato commisso in particulari, non verò vniuersè de omnibus, nec distinctè nec confusè.

**ASSERTIO I.**

*Ad contritionem non requiri distinctam peccatorum recogitationem.*

Dico ergo primo: Ad consequendam iustitiam, & remissionem peccati, atque adeo ad veram contritionem habendam, necessarium non est, ut reuera præcedat actualis, & distincta recogitatio omnium peccatorum commissorum, neque etiam ut cum ipsa contritione actualiter, & simul in eodem instanti habeatur. Hæc assertio est expressa D. Thom. q. 28. de verit. art. 5. ad 3. & 4. Et probari facile potest, nam quod attinet ad actualem representationem omnium peccatorum in eodem instanti per distinctam cogitationem, sæpe est humano modo impossibile, quia multitudo, & varietas peccatorum sæpe est multiplex, & ideo non potest intellectus humanus simul ad omnia illa distinctè attendere. Atque ita de hoc ferè nulla est dubitatio inter auctores. Quod vero attinet ad actualem recogitationem præteritam, quamuis hæc præcedere possit, nullum est tamen principium positium, aut naturale, ex quo

colligi id possit esse necessarium: nam licet formalis penitentia de omnibus peccatis necessaria sit ob testimonia adducta, & latius ostendemus infra disputatione 7. optime tamen esse potest huiusmodi penitentia, etiam si talis recogitatio non præcesserit: quando enim aliquis detestatur omnia peccata propter Deum, etiam si distinctè de illis non cogitet, formalem penitentiam habet, & non de vno, vel de alio peccato tantum, ut constat, quia ad nullum particulare descendit, neque in vno, aut singulariter, aut indefinitè sumpto sinit, sed ad omnia extendit intentionem suam: ergo verè habet penitentiam formalem de omnibus: implet igitur quicquid in hac parte ut necessarium postulat.

Explicatur hoc modo. Nam etiam si aliquando præcedat illa recogitatio, necesse tamen non est, ut simul cum illa toto illo tempore duret contritio, quia ut ostensum est, neque est necessarium paulatim, & per particulares actus singula peccata detestari, neque etiam in vno & eodem actu aliquam moram temporis consumere: sufficit ergo finita recogitatione statim vno motu detestari omnia peccata. Quod etiam concedunt ferè omnes, qui huiusmodi recogitationem requirunt. At vero etiã tunc pro eo instanti, quo habetur contritio, iam non manet in intellectu, nisi quadam confusa representatione, & memoria peccatorum omnium: ergo si hæc eadem præcesserit ante recogitationem, ad contritionem habendam sufficere: ergo necessarium non est, ut illa recogitatio in re ipsa semper præcedat. quod tandem persuadet ratio sæpe facta, quia iustificatio potest subito, & sine mora fieri, iuxta illud, *In quacunque hora inueniuntur peccator.* Ezech. 18. At vero illa recogitatio sæpe fieri non potest nisi longo tempore: non est ergo necessarium ut antecedit: sic enim Magdalena subito iustificata est, licet haberet multa peccata, quæ tam subito distinctè cogitare non potuit, maxime cum tota esset ad amandum intenta. Idemque de bono latrone, & de aliis similibus cogitare licet.

**ASSERTIO II.**

*Recogitationem peccatorum subsequenter iustificationem non esse per se necessariam ad contritionem.*

Dico secundo: Recogitatio distincta peccatorum omnium ut in re ipsa subsequens iustificationem, & contritionem veram, atque adeo ut contenta in voto in ipsa contritione, non est per se, & propter se necessaria simpliciter, sed per se sufficit vniuersalis detestatio peccatorum, solum confusè recogitatorum. Dico autem per se, quia recogitatio illa necessaria interdum esse potest propter aliquam obligationem implendam, quæ in futurum pendet. Prior pars declaratur, nam hæc recogitatio esset per se necessaria, si vel absque illa contritio haberi non posset, vel per se esset præcepta, tanquam quædam interior confessio, & humiliatio ad Deum: neutrum autem horum verum est. Primum iam est probatum, nam ostendimus, sine hac recogitatione actuali posse haberi veram contritionem. Imo cum loquamur nunc de recogitatione subsequente ad contritionem, clarum est illam non esse necessariam in re ante talem contritionem: nec vero post illam contritionem necessaria est alia contritio propter quæ subsequens recogitatio exigatur: quia vna contritio sufficit: ergo. Secundum probatur, quia tale præceptum non est iuris naturalis: ex nullo enim principio necessaria consecutione inferitur: ergo non est de necessitate penitentia, ut sic. Neque erat in statu legis naturæ, in quo tantum erant præcepta connaturalia gratiæ. Neque etiam ex Scriptura habetur: nam tunc

Masor.  
Caiet.  
Cather.  
Victor.  
Ledesma.  
Vega.  
Nauar.  
Per Solo.

Tripliciter  
potest reco-  
gitatio di-  
stincta pec-  
catorum in-  
telligi.

Primo.

Secundo.  
Tertio.

D. Thom.

flimonia superius adducta, vel solum continent exempla, & facta Sanctorum, qui non operantur solum quod necessarium est, sed etiam quod est melius: vel continent solum preceptum detestandi omnia peccata, quod seruari potest sine tali recogitatione. Sicut etiam eisdem locis continetur preceptum habendi propositum seruandi omnia mandata, & tamen non propterea est per se necessarium recogitare distincte omnia mandata, sed tunc ad singula aduertere, quando implenda erant.

Secunda pars assertionis declaratur à simili ex statu legis nouæ, nunc enim etiam post contritionem generalem necessarium est distincte recogitare peccata, quia manet obligatio confitendi illa, quæ sine tali recogitatione impleri non potest. Sic ergo propter aliquam obligationem, quæ locum habet in pura lege naturæ, potest interdum manere hæc obligatio. Triplex autem potest esse illa occasio. Prima, si restituendum aliquid sit; quæ satis per se constat. Secunda, si sit aliqua occasio peccati tollenda, vel in vniuersum aliquod necessarium remedium adhibendum ad præcauenda similia peccata: ad hæc enim tenetur homo ex vi contritionis, & non potest illa præstare sine consideratione specifica peccatorum. Tertia propter satisfactionem condignam peccatorum quoad reatum pœnæ: hoc autem non est magis necessarium, quam sit ipsa satisfactio: quod supra dictum est, & infra latius dicitur.

Et hanc partem damus primæ opinionis supra citatæ, & ex illa soluta relinquuntur fundamenta eius. Nam testimonia Scripturæ declarata iam sunt, quia vel solum requirunt vniuersalem contritionem, siue illa vniuersalitas ex parte recogitationis intellectus sit confusa, siue distincta: vel quando loquuntur de recogitatione distincta, narrant facta Sanctorum, vt dixi, & proponunt id quod est melius. Non vtuntur tamen verbis, quæ necessitatem indicent. Et hoc posteriori modo loquuntur præcipue sancti Patres ibi citati. Vel si aliquando loquuntur de hæc recogitatione, vt de re necessaria, est in ordine ad aliquem effectum futurum iuxta propositam assertionis partem. Necessitates ibi factæ amplius probant. Nam quod spectat ad officium iudicis, & potest in se peccator punire sua peccata, quantum voluerit, quantumvis de illis distincte non cogitet, & forsasse etiam potest satisfactionem pro pœna in Purgatorium remittere, & in vtroq; differt multum hoc iudicium internum à iudicio sacramentalis confessionis. Quod vero pertinet ad officium medici, pro ratione necessitatis poterit esse recogitatio hæc necessaria in ordine ad futurum effectum: hæc tamen necessitas, nec semper occurrit, & respectu omnium peccatorum fere nunquam. Rursus quod auersiones peccatorum fuerint plures, parum refert, quia vna perfecta, & vniuersalis conuersio omnes delet, alioqui non solum in intellectu, sed etiam in voluntate tot essent multiplicandæ contritiones, quod fuerunt peccata mortalia, quod ridiculum est.

Denique (quod notandum est) etiam in lege noua non requiritur hæc recogitatio peccatorum propter contritionem, sed propter confessionem: nam si quis vel prius concipiat vniuersalem dolorem perfectum de omnibus peccatis, & postea ea recogitet sine nouo dolore, vel postea de omnibus confuse doleat, id satis est: ergo signum est illam recogitationem per se propter confessionem postulari. Quamuis si recte fiat: ex illa recogitatione practica, moraliter sequatur maior dolor. Hinc vero fit, vt etiam in hoc statu, si contingat aliquem excusari ab illa obligatione in ordine ad confessionem, nimirum quia confiteri non potest ob inopiam confessoris, tunc simpliciter excusetur à tali recogitatione facienda, etiam si oppositum aliqui senserint sine causa, cui illa reco-

gitatio non per se præcipiatur, sed propter actum externum, qui tunc exerceri non potest. Sicut qui non potest audire Missam, nec recitare officium, quando alias teneretur, si posset, non tenetur habere illam attentionem ad Deum, quam habere deberet, si Missam audire, aut horas recitare posset.

Atq; ex his omnibus & ex dictis etiam in præcedente conclusione probata manet vltima pars eiusdem assertionis, quod scilicet non solum ex accidente, sed per se sufficiat hæc vniuersalis contritio de omnibus peccatis confuse propositis. Cum enim ostensum sit nihil aliud esse per se necessarium, recte concluditur hoc per se sufficere.

ASSECTIO III.

Posse hominem iustificari, cogitando de vno peccato, & illud ex motiuo penitentiæ detestando.

Dico tertio: Interdum potest homo veram contritionem habere, & iustificari, etiam si de vno solo peccato commisso actu cogitet, si illud ex perfectissimo motiuo penitentiæ detestetur: hoc est manifestum: quando sic penitens illud solum peccatum commisit: sed potest etiam contingere, etiam si alia commiserit. Quod expresse docuit D. Bonau. loco supra citato: & idem tenet Medina tractatu 1. de Pœnit. q. 12. art. 2. & idem supponit Corduba lib. 1. q. 15. Et ratio est, quia est illa vniuersalis detestatio virtualis omnium peccatorum, vt supra ostensum est. Et quidem si alia peccata commissa oblita sint, res etiam est per se manifesta: quia iam ille homo detestatur peccata commissa quantum moraliter potest, & debet.

Addit tamen Bonauent. in eo casu debere hominem detestari saltem sub conditione alia peccata, si forte illa commisit. Quod est optimum consilium: tamen necessitas precepti solum erit quando homo est dubius: an alia peccata commiserit, quæ memoria exciderint. Tunc enim ratione dubij, & consequenter ratione periculi tenebitur. At si nullum morale dubium habeat, non est cur obligetur: sicut qui nullius peccati mortalis conscientiam habet, nõ tenetur sub conditione conteri, sed satis est diligere. Rursus, quoniam naturalis inconsideratio pro eo tempore quo habetur, æquualet obliuioni, & æque excusat: ideo is qui multa peccata commisit, & vnum tantum considerat actu, licet aliorum non sit omnino oblitus, sed solum actuale inconsiderationem eorum habeat, poterit de peccato illo vere conteri, & per illam contritionem iustificari obrationem dictam. Tenebitur tamen, vt opinor, postea de aliis peccatis formaliter conteri, saltem per generalem contritionem. Et ita asserunt auctores citati præsertim Medina, & Corduba, quia formalis penitentiæ de omnibus peccatis necessaria est, per se loquendo: illa autem contritio, quæ circa vnum tantum peccatum formaliter versatur, solum est virtualis penitentiæ aliorum: & ideo semper manet obligatio ad formalem penitentiam eorum: quare in illa virtuali continetur votum de hac formali, iuxta doctrinam superius datam. Dices, Eadem ratione erit obligatio detestandi illa peccata in particulari, & distincte cogitata. Respondetur negando sequelam, quia penitentiæ formalis de omnibus peccatis sufficienter habetur, etiam si illa solum confuse & vniuerse cogitentur: habemus autem expressum præceptum de formali penitentiæ omnium peccatorum, non vero de distincta, & in particulari omnium peccatorum maxime cum hoc ad intellectum potius, quam ad voluntatem pertineat.

Hinc dubitant dicti auctores: An qui plura commisit

13. Vniuersalis detestatio peccatorum confusa & cogitatorum aliquando sufficit.

13. Soluuntur quædam in prima sententia.

14.

Bonauent. Med. Cordub.

18.

Qui de omni peccato conseritur. & iustificatur, tenetur penite de aliis conteri.

Obiectioni satisfi.

17.

Dubium  
propositum.  
Medina  
sententia.

mitit peccata, & actu de illis cogitat, possit formaliter detestari unum per veram contritionem, non sic detestando aliud. Medina affirmat, quia non tenetur homo quoties de peccatis cogitat, ea actu detestari: ergo potest licite detestari unum, & non aliud formaliter: ergo etiam potest id facere ex motu contritionis quia nulla est repugnantia: sicut qui actu cogitat plures veritates fidei, potest actu exercere assensum circa unam, & non circa aliam. Contrarium tenet Corduba. Et mihi videtur probabilius suppositis principiis quae posuimus, & Medina admittit. Nam formalis penitentia de omnibus peccatis est necessarium medium, per se loquendo, ad iustificationem: ergo quoties homo potest habere hanc formalem penitentiam, & est quasi in proxima preparatione ad habendam illam, non erit satis in virtute, vel in voto illam habere, quia solum per accidens sufficere solet ex impotentia. At vero in eo casu potest facile ille homo formaliter detestari illa peccata: ergo, si iustificari vult, debet habere formalem contritionem omnium: ergo non potest habere contritionem unius tantum, quia per talem contritionem iustificaretur. Quocirca, licet absolute non teneatur homo actu detestari peccata, quoties de illis cogitat: tamen ex suppositione quod efficaciter vult destruere aliquod eorum, & a se expellere per iustificationem, necesse est, ut de omnibus doleat: in contritione autem includitur vel formaliter, vel virtute illa efficax intentio: & ideo ex vi illius non potest separare (ut sic dicam) contritionem unius peccati a formali contritione aliorum, nisi ex inconsideratione, vel aliqua ignorantia, quae illi aequiualeat. Propter quam rationem dicemus etiam inferius, peccatorem, qui actu cogitat de suo statu in peccato mortali, non posse diligere Deum super omnia, quin simul peccata detestetur, quod latius ibi exponetur.

Cogitans  
de pluribus  
peccatis non  
potest unum  
solum detestari  
penitentiam.

18  
Alia  
dubitatio.  
Vega  
Non solum  
debet quod  
detestari  
malitiam  
peccati, sed  
actum peccati  
intrinsicum  
et malum.

Ultimo dubitari hic potest: An contritio esse debeat etiam de ipsis actibus peccatorum, vel sufficiat de malitia eorum. Nam Vega libr. 13. in Trident. c. 25. refert opinionem asserentem non esse necessarium actus ipsos detestari, quam ipse improbat, & merito, ut facile nobis constare potest ex supra dictis de obiecto penitentiae. Solum est obseruandum hoc maxime habere verum in actibus, qui sunt intrinsece mali: nam ab illis moraliter factis inseparabilis est malitia: & ideo ratione illius detestabiles sunt, & detestandi: At vero, si actus ex se sit indifferens, ex prava autem intentione fuerit peccaminosus, non erit necessarium detestari actum, sed modum operandi illum, idemque a fortiori est, si actus erat bonus, & ex conscientia erronea fuit male factus. Denique etiam oportet, curare effectum ab ipso actu, nam effectus non est peccatum, & potest placere ratione bonitatis, etiam si per actum, quantumuis malum, factus sit.

SECTIO VII.

Verum Contritio semper sit actus gratia formatus.

1. Postquam dictum est de quantitate contritionis, dicendum est de qualitate, seu morali dignitate eius, quae in praesenti materia non solum esse potest haec formatio, vel informitas contritionis. Caditque commode in hunc locum haec quaestio, quia ex praecedentibus facile resoluitur. Sequitur enim ex dictis actum contritionis semper esse formatum gratia: quia nullo tempore, vel momento ab illa separatur. Intelligitur autem reddi sanctum & gratum: actum enim esse formatum tali gratia, nihil aliud est, quam esse hominis sancti actum, & grati Deo:

Actum  
contritionis  
semper esse  
gratia formatum

ratione cuius habet valorem quandam, & dignitatem moralem. A quo haec assertio ita in communi sumpta, certa est, & ab omnibus recepta; maxime loquendo de contritione formaliter, ut contritio est. Nam loquendo de actu illo, qui est contritio, id negant Scotus, & Caietanus, falso tamen, ut satis constat ex dictis sect. 4. & 5. Estque aperta doctrina Diui Thomae locis ibi citatis, & in hac q. 6. & q. sequen. art. 6. ad 1. Et alia referunt Vega libr. 6. in Trident. c. 34. Corduba libr. 1. quaestio Theologica-rum quaestio. 1. dub. 4. Soto libr. 2. de Natura & grat. cap. 16. circa finem, & libr. 3. c. 13. circa finem. Hic vero referri posset noua quaedam opinio Michaelis Baij, qui fatebatur quidem gratiam, & charitatem in eodem momento infundi, in quo homo habet actum contritionis, vel dilectionis: peccata vero non statim remitti etiam quoad culpam, donec sacramentum Baptismi, vel Penitentiae ipsa recipiatur. Ex quo plane sequitur talem actum non statim esse plene formatum, quia est adhuc hominis existens in peccato mortali. Illa tamen sententia supponit falsos errores, scilicet, quod peccatum nunquam remittatur usque ad realem susceptionem sacramenti, & consequenter, sine hac susceptione non posse hominem saluari. Item posse esse hominem in statu peccati; imo & condemnari cum habitibus gratiae, & charitatis. Denique promissiones adductae ex Scriptura in sect. 5. sufficiunt ad conuincendos hos errores, quia contritioni non solum gratia infuso, sed etiam remissio peccati promissa est. Ut omittam quod Paulus ait, nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu, & charitatem nunquam excidere, nec separari ab Spiritu sancto inhabitante, & alia quae communia sunt, & in materia de Gratia latius tractantur.

Ut autem exactius declaremus hanc gratiae informationem, aduertendum est, tribus modis posse intelligi hunc actum contritionis esse formatum. Primo per se essentialiter absque coniunctione ad aliam formam. Secundo effectiue, quia nimirum a gratia ipsa efficitur: & consequenter in sua effectiue formatum. Tertio concomitanter, & quasi passiuac moraliter. Dixerunt ergo aliqui, contritionis actum non indigere forma aliqua, ut formatus sit, sed ipsum per se, & praecipue quatenus dilectionem Dei super omnia includit, esse essentialiter formatum. Imo esse formam ipsam, quae hominem gratum & sanctum constituit sufficienter, quia est supernaturalis forma coniungens hominem Deo, non minus, quam habitus. Haec sententia nobis nullo probanda est modo: quam ex professo tractassem, & impugnassem: nisi id egissem in primo tomo huius 3. part. disp. 4. sect. 8. & infra tractando de effectibus penitentiae, iterum occurret. Nunc nobis satis sit, Concilium Tridentinum posuisse hunc actum ut dispositionem ad gratiam, & remissionem peccati, non vero ut formam formaliter perficientem hunc effectum: sed asseruisse hanc esse ipsam iustitiam infusam. Et ratio est, quia ille actus nunquam est codigna satisfactio pro peccato: & ideo non expellit illud donec Deus conuertatur ad hominem, infundendo illi gratiam sanctificantem. Sit ergo nobis certum hunc actum non per se, sed per gratiam, & charitatem informari.

An prima contritio ab habituali gratia fiat.

Aliorum ergo opinio fuit hunc actum esse formatum, quia efficitur ab ipsa gratia sanctificante, vel saltem ab aliquo habitu infuso, qui illam committitur. Haec est communis Thomistarum praesertim recentiorum, eo quod illam videatur insinuare D. Thomas 1. 2. q. 113. artic. 7. & 8. & in 4. dist. 17. q. 1. 3. art. 3. art. 3.

D. Thom.  
Vega  
Cordub.  
Soto.

Michaelis  
Baij opinio.

Reijciuntur.

Rom 8:  
1. Cor. 13.

Tripliter  
obseruato po-  
tess formatum  
ri gratia.  
quorundam  
opinio.

Reprobatur.